



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 54. Senatus edictum contra Architalassum Colinium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A C 1572.
nona Septembris solemniter procedentes, ibidem festinate Sancto Michaeli sacra congregati essent, ac Rex in suo throno consideret, peracto sacro libellus supplex eidem ex compacto porrigebatur, Nobilium priscam Religionem profitentium nomine, in quo maximum adhuc nobilium numerum in regno superesse, abs dubio ea ex causa dicebant, ut nuper interfectorum memoria induceretur, & jactura illa, qua Galliam adeo debilitatam jactabant, elevaretur. Hi ergo postulabant, ut Religio una, videlicet ea, cui a Majoribus per successionem acceptæ regia Majestas, ac regni salus innititur, ipsius Regis auctoritate in posterum constituatur, atque id, quod ipse Rex nuper super ea re ad tempus statuerat, nunc in perpetuum decernatur: quam ad rem efficiendam, si opus fuerit, hi Nobiles operam suam magno consensu deferebant. Hunc libellum Rex benigne accepit, & ea in re, quod magis expediret, facturum se spondit.

§, LIV.

Senatus edictum contra Architalassum Colinium.

Thu. & Duplex p. 794.
l. c.
Interea in Senatu quæstio in Colinium defunctum, ac conscios maturabatur, ac tandem die vigesima septima Octo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Octobris promerita contra Colinium mortuum fertur sententia, qua tanquam Majestatis reus, pacis, & tranquillitatis publicæ hostis, & inivitæ adversus Regem conspirationis auctor, & instigator damnatur, bonisque omnibus ærario publico addictis, ejus memoria infamiæ nota aspergitur, illiusque nomen in perpetuum aboletur, decerniturque, ut corpus illius, si uspiam inveniri posset, aut si minus, imago crati imposta a carnifice per urbis vias raptetur, & in ripensi foro ad patibulum suspendatur, atque inde ad Monfalconias furcas in editiorem locum transferatur; insuper sanciebatur, ut ejus insignia ad caudas equorum alligata itidem in sempiternæ ignominie testimonium per urbes raptentur, illaque omnia, quæ ubicunque locorum toto regno in ejus honorem erecta, & ad decus affixa comperientur, a carnifice publice confringantur, ac lacerentur: statuae item ejusdem, & imagines ubique concerpantur, & aboleantur: ædes quoque illius primariæ Castellione ad Lupam solo æquentur, nec ibi fas sit unquam ædificium instaurare, arbores in illius septo ad mediam altitudinem cædantur, solum sale conspergatur, & in media area columna statuatur cum lamina ærea, cui præsens Senatusconsultum

F 2

in-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572. inscribatur: præterea illius liberi ignobiles, & infames pronuntientur, & indigni, qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruuntur, iis, si qua possidere comperiantur, in ærarium publicum redactis. Eodem denique edicto statutum, ut quotannis vigesima quarta Augusti, quæ dies B. Bartholomæo sacra est, solemnes supplicationes ad gratias Deo agendas, & celebrandam illius diei memoriam in universa urbe habeantur, ac divinæ clementiæ laudes perfolvantur, eoquod Regem, ejusque Regnum a suorum subditorum conspiratione in ejus personam conflata liberare, illiusque Auctores pro criminis modo plectendi opportunitatem benigne concedere voluerit.

§ LV.

Bricomotii, & Cavagnii supplicium.

Thuan. l. c.
Mezeray
abrege chr.
t. 5. p. 258.

Eadem die contra Bricomotium, & Cavagnium, qui non ita pridem comprehensi fuerant, alia sententia haud minus severa pronuntiabatur. Juxta non nullorum relationem! Bricomotius jamjam septuagenarius, cum cetera hujus sententiæ capita patienter excepisset, ad suarum prolium mentionem præ doloris vehementia exclamavit, ecquid illi commeruissent, cur tam severe cum illis ageretur: postea cum ambo diversi ad